Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 227
Quelle:
Copyright:

Missam et pollutione nocturna, et nobis alibi iterato.

XII. *fol.* 122. p. 2. *Incipit Tractatus de Arte audiendi confessiones Magistri Johannis de Gersona Cancellarij parysiensis.* Initium: *Etiamsi Virtus quam assuefactio gignit* &c. Extat *Cod.* alio et *Opp.* T. II. *col.* 446.

XIII. *fol.* 126. p. 2. *Incipit Tractatus De vita Contemplativa practice considerata distinctus per 12. considerationes Magistri Johannis de Gersona Cancellarij Parisiensis.* Initium Prologi: *Tractantes in lectionibus nostris jam a multo quamuis interrupto tempore* &c. Est Pars II. *Considerationum de Mystica Theologia*, et extat *Opp.* T. III. *col.* 399.

XIV. *fol.* 140. p. 2. *Sequitur Tractatus Johannis de Gersona de remediis contra recidiuam peccandi a confessoribus dandis.* Initium: *Habet hoc proprium ars quelibet* &c. Extat *Opp.* T. II. *col.* 457. In fine nobis adtexitur illa *particula* de Circumstantiis in Confessione inquirendis, quae in impressis Tractatum praecedit: *Praeterea iste circumstancie que habentur per hunc versum* &c.

XV. *fol.* 143. *Incipiunt hic ammoniciones Cesarii Episcopi Arelatensis.* Sunt illae XII. *Homiliae*, quas dabimus *Cod.* CCLXI. Hic porro in hunc modum subscriptae sunt: *Expliciunt sermones Cesarij Episcopi Arelatens. Apud aliquos intitulantur Omelie Eusebij Emiseni.*

XVI. *fol.* 162. *Incipiunt libri ethymologiarum ysidori iunioris byspalensis episcopi ad braulionem cesaraugustanum episcopum conscripti.* Ita quidem titulus; sed cave, quid expectes praeter horum Virorum *Epistolas* ἀμοιβαίας VI. quarum V. *Dubreulius* in edit. *Opp. Isidori Paris.* 1601. f. Libris *Etymologiarum* praefixit, *primam*, quod nihil ad hos libros pertineret, inter alias Autoris *epistolas* tertio loco p. 694. exhibet. Incipit vero illa: *Domino meo et dei seruo braulioni episcopo ysidorus episcopus. Omni desiderio desideraui nunc videre faciem tuam* &c. Porro cum nova *Isidori* editio in multorum eruditorum votis sit, specimen aliquod variae Lectionis ex his epistolis subjungere visum est. Legit itaque *Codex* noster ep. 2. *Servorum* pro *Sanctorum. Piissime* pro *pie. Pestis mortalitatibus* pro *luis.* Ep. 3. *aspicere merear* pro *aspicerem.* Ep. 4. *stulta* pro *styli. famulis* pro *familiis. moderatur* pro *dispensat* &c.

XVII. *fol.* 164. *Quod non licet habere monacho proprium.* Seu ut in calce notatur: *Tractatus de proprietatibus religiosorum Editus per venerabilem M. h. de hassia doctorem sacre pagine.* Incipit: *Pro salute eorum qui vicia fugere cupiunt* &c. et finit: *quantum ei opus est in christo ihesu domino nostro Amen.* Thema suum propugnat Autor ex Jure canonico, et ex Regula S. Benedicti. Exemplar etiam *ms.* invenit *Mansius* in Coenobio *Scotor. Vien.* ut testatur in edit. *Biblioth. Fabricianae* L. VIII. p. 220. Ut tamen nihil dissimulem, in *indice*, qui *Cod.* nostro prae-